EPICEDIVM:

IN OBITVM LVCTVOSISSIMVM HONORATISSIMI OMNIVMQVE VIRTVTVM ENCOMIO PRÆSTANTISSIMI HEROIS

Ac Domini LVDOVICI LINOXIÆ & *Richmondiæ* Ducis Inclytissimi, &c. qui obijt in alba Aula *Westmon.* 16. die Mens. *Februar.* *Anno* 1624.

1070. m 4
4

SCRIPTVM ET OBLATVM

A

CONRADO PILOVIO Morauo Germano.

EXCVSSVM LONDINI
M.DC.XXIIII.

EPICEDIVM.

QVas celebris Sabrina vadis, quas Tamiſis amnis
Quas Tina cum Twidâ ripa vetuſta colit:
Pangite Pierides lugubria carmina Muſæ,
Carmina Præluſtri commemoranda Duci.
Spargite Pierides beneolentes ſpargite flores,
Spargite Pulchricomis lilia mixta roſis.
Spargite Florentes nardi redolentis ariſtas,
Spargite NARCISSI, germina pulchra, comas.
Occubuit diris Dux AVGVSTISSIMVS vmbris,
Delitium Regis Nobiliúmq; decus.
In cineres iuit tabum liquefactus in atrum,
Quo nihil in vitam venit amabilius.



EPICEDIVM.

Gentibus Angliacis mortis conceſſit honorem,
Qui fuit Arctoi gloria nata ſoli.
Quiq; STVARTORVM decus ingens, ſtemmata quorũ
Nota ſub Eois. Heſperijſq; plagis.
Nempe iacet raptus medijs LVDOVICVS in vmbris
Inclyta *Scotorum* gloria nempe jacet.
Nobilitatem & opes ab origine duxit auitâ,
In pulchro virtus corpore pulchra fuit.
Quem pietas cœlo tollit, qui nobile dignus
AVGVSTOS inter nomen habere Duces.
SCOTIA ceu laudem, ſic contulit ANGLIA quicquid
A patriâ patriæ debet habere pater.



EPICEDIVM.

Occidit ab nimium properatâ morte Patronus,
Subueniens miſeris, res quibus arcta domi.
Hinc igitur vario cruciata Britannia luctû
Inſonat, hinc gemitus angulus omnis habet.
Rex pius hunc repetit, fuerat cui ſanguine junctús,
Ac inconcuſsâ junctus amicitiâ.
Quem Regem Regum ſpectant occaſus & ortus,
Qui ſibi ſubiectos dum regit, arte regit.
Hunc repetit CAROLVS, quem vidit corpore ſaluo,
Salvus ab Arroganum quando reuerſus agris.
Expedijt quando per tot diſcrimina rerum,
Per loca ſolliciti plena timoris iter.

Hunc

EPICEDIVM.

Hunc repetit frater queritans, ſeu Cynthia noctem
Seu trahit aërio Phœbus ab axe diem.
Hunc repetunt omnes, quibus eſt nota inclyta virtus,
Quêis pietas, candor, quêis ſine labe fides.
Præ reliquis verò coniux mæſtiſſima luget,
Hæc dolet, hæc multi ſigna doloris habet.
Hæc dolet & temerans lachrymarum flumine vultum,
Suſpirat ſocij triſtia fata Ducis.
Mæſta ſuum reuocans gemebundâ voce maritum,
Sollicito tales fundit ab ore ſonos :
Quò fugis ô multum mihi dilectiſſime coniux ?
Quò fugis ô animæ pars mihi cara meæ ?



EPICEDIVM.

Quò fugis? ah rabidi quæ te violentia Fati
Ante facit tempus ſuccubuiſſe neci?
Quis modò, quis quæſò me conſolabitur ægram?
Dum maceror luctus fracta dolore mei.
Tu mihi ſolamen, tu murus, portus, aſylon,
Tu mihi, tu ſolus dulce leuamen eras.
Dulce leuamen eras, nil te mihi dulcius vnquam,
Ah erat in toto gratius orbe nihil.
Nec bona, nec ſexum ſpectat fera Parca, nec annos,
Diſſimiles ſimili conditione rapit.
Non decus hæc generis, non reſpicit æris aceruos,
Non ſpectat grauidi jugera mille ſoli.



EPICEDIVM.

Pauperis hæc æquo congeſtum ceſpite culmen
Et Regum pulſat tecta ſuperba pede.
Nil juuat hîc pietas animi, nil integra virtus,
Nil juuat hîc candor, nil ſine labe fides.
Nil juuat à claris duxiſſe parentibus ortum,
Nil juuat hîc ſummis Regibus eſſe pares.
Cur cui lemma novum tribuit *Richmondia* tellus
Truncatur manibus ſanguinolenta tuis?
Quem memori celebrat celebris LINOXIA Plauſu,
Quâ Ducis antiquum nomen ab axe tulit.
Sed nihil eſt tales nihil eſt fudiſſe querelas
Auribus hæc ſurdis ferrea Parca capis.

EPICEDIVM.

Quid gemis ô dulcis conjux ? ſuſpiria quorſùm ?
Quid fædas lachrymis lumina mæſta tuis ?
Anxia quid teneris contundis pectora palmis ?
Quid tenero laceras elicis vngue comas ?
Quid gemis ô frater ? quorſùm ſuſpiria ? quorſùm
Conficiens ſpectat triſtia corda dolor ?
Parcite luctiſono corrumpere lumina fletu,
Parcite ſqualentes vngue notare genas.
Corporis exuuiæ licet hiſce tegantur arenis,
Vſq; tamen viuens ſpiritus aſtra tenet.
Spiritus aſtra tenens dulciſſima gaudia ſentit,
Gaudia non noſtris commemoranda modis.

FINIS.